



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Casvum Conscientiæ**

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

**Sayer, Gregory**

**Venetiis, 1627**

5 Clericus patrocinando p[o]enam nullam incurrit, nisi mors, aut mutilatio sequatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13903**

## DECISIO IV.

*Ex consil. 2. in utrisque.*

4 **C**onstitutio Gregorij XIII. contra Bannitos, quamvis clericos ad eos accusandos, denunciandos, & propalandos non obliget, cum huiusmodi denunciatio, & accusatio res periculosissima, & morti vicina sit, ad quam legislator clericos obligare non solet; cap. Erit autem. d. 4. & ait Nau. in Man. c. 27. nu. 196. Eorum tamen fautores, etiam si clerici sint, extra casus sacræ confessionis, & alios, in quibus iure naturali, vel diuino eis fauere tenentur, comprehendit.

## DECISIO V.

*Ex consil. 5. alias 6.*

5 **C**lericus in quatuor tantum minoribus constitutus, & omni beneficio carens, vel etiam sacris initiatus patrocinando in causis, siue sint ecclesiasticæ, siue secularis, aut criminales, excommunicationem, aut aliam censuram non incurrit, neque etiam irregularitatem, dummodo ex suo patricinio mors, aut mutilatio membri non sequatur: cap. Sententiam sanguinis. ne clerici, vel mo-

nachi. Ita tamen patrocinando mortaliter peccat, si vel beneficium ecclesiasticum habeat, vel in sacris constitutus sit, etiam si beneficio careat, exceptis casibus iure permissis, cap. 1. de postulat.

## DECISIO VI.

*Ex consil. 1. in Nouis deest in antiq.*

6 **T**utela, & curam Minorum suscipere, nec episcopus, nec sacerdos secularis, multo que minus monachi suscipere tenentur, generaliter, C. de episc. & cler. & cap. generaliter. 16. q. 1. siue tutela sit legitima, quæ lege defertur; siue Dativa, quæ a iudice datur; siue testamentaria, quæ a testatore defertur. Poterunt nihilominus episcopi & presbyteri illam suscipere, si volunt, sine vllius alterius licentia, modo illam turpis lucri gratia, vel ob alium malum finem non suscipiant. Immo etiam & religiosus tutor curator, & testamenti exequutor esse potest, petita tamen & obtenta superioris licentia: cap. 2. de testamen. in 6. sed et si episcopus, presbyter, aut religiosus huiusmodi tutelam, & curam ob malum finem suscipiât, iuris tamen communis suspensionem ipso iure non incurrit, cap. peruenit, dist. 86.

Finis Libri Tertij.

# DECISIONVM

## CASVVM

### CONSCIENTIÆ

Ex doctrina Consiliorum Martini ab Azpilcueta Doctoris Nauarri  
collectarum.

## LIBER QVARTVS.

## TITVLVS I.

De Sponsalibus, &amp; Matrimonio.

## SVMMARIVM.

- 1 Matrimonium sine paracho contractum non valet, nec vim sponsaliorum habet.
- 2 Virginem nulliter ducens, & deflorans, an dotare teneatur, licet illa postea fornicetur.
- 3 Virginem pellicentem deflorans iure poli restituere non tenetur, quamuis iure fori condemnabitur.
- 4 Virginem sacratus, vel coniugatus sine deceptione deflorans, nihil restituere tenetur.
- 5 Matrimonium ex dispensatione contrahentes, negata copula, post commissionem ad dispensandum secuta, peccant, sed valet matrimonium.
- 6 Filij ex matrimonio nullo legitime contracto, & durante amborum, vel alterius coniugis ignorantia nati, sunt legitimi.
- 7 Papa leges suas, ac prædecessorum suorum, an reuocare possit, ac si late non fuissent.
- 8 Episcopus, quando super impedimento matrimonium dirimentibus dispensare valet.
- 9 Denunciations Matrimoniorum omnis ordinarius, etiâ Abbas remittere potest.
- 10 Matrimonium clandestinum ante Concilium Triad. contrahentes peccabant, sed validum erat.
- 11 Iudeus conuersus licitè cum ea contrahit, cum qua pater ante eius conuersionem coiuuit.
- 12 Matrimonium nec verum, nec præsumptum est, si nec verba de presenti, nec copula interuenerunt.
- 13 Matrimonium coram paracho schismatico, non tamen declarato, & coloratum titulum habente contractum, validum est.
- 14 Papa ex causa dispensare potest, ut episcopus uxorem ducat.
- 15 Matrimonium sublato impedimento nouum consensum requirit.
- 16 Matrimonium contra formam dispensationis Papa contractum, est nullum.
- 17 Dispensatio ab vno coniugum alio ignorante impetrata, vtrique prodest.
- 18 Marito diu absente, & ad mortem ægrotante, vxor alteri nubere nequit, nisi certo mortuum sciat.
- 19 Matrimonium fidei per procuratorem cum vna, & deinde per se cum alia contrahens, quid facere debet.

Ma-